

No. 638. 1374. 18. Oct.

*B. Conrad II. verspricht die zwischen seinem Vorgänger B. Johann und dem Capitel getroffenen Bestimmungen über die Rechte der niedern Prälaten und Archidiaconen u. s. w. auch seinerseits festzuhalten.*

Nos Conradus dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis ecclesiae notum facimus — quod pro declaratione sive elucidatione ordinationis et pronuntiationis inter bonae memoriae dominum quondam Johannem episcopum Misnensem praedecessorem nostrum ab una et capitulum ecclesiae nostrae parte ab alia olim factae et habitae, litteris quoque et iuramentis firmatae, infrascripta honorabilibus viris dominis . . praeposito, . . decano et capitulo ecclesiae nostrae promisimus et praesentibus promittimus bona fide, quod inferiores praelatos et archidiaconos ecclesiae nostrae nobis subiectos in iurisdictionibus suis exercendis et correctionibus subditorum suorum, clericorum et laicorum faciendis, in nullo debemus impedire, prout in ordinatione cavetur supradicta. Item, quod casus et excessus per eosdem archidiaconos prius correctos corrigere iterato non debemus. Item quod eisdem praelatis et archidiaconis inhibere ipsosque ne clerum et populum sibi subiectos, etiam si in castris et munitionibus nostris propriis consistent, visitent vel visitare faciant, de cetero aliququaliter non debemus. Item quod de institutionibus et investituris quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum sub quibuscunque praelatis et archidiaconis nostrae dioecesis et in eorum archidiaconatibus consistentium nos intromittere non debemus, etiam si ipsa beneficia sint in nostris propriis castris et munitionibus constituta; sed si qua vacant aut vacabunt beneficia cum cura vel sine cura ad nostram collationem vel praesentationem spectantia, ad illa personas idoneas praelatis et archidiaconis, in quorum archidiaconatibus beneficia ipsa sita sunt, praesentare debemus, qui ipsis curam animarum committere, si curata sunt, instituere et in corporalem possessionem beneficiorum eorundem mittere possunt et debent praesentatos eosdem et obedientiam manualement recipere ab eisdem, nec etiam de permutationibus expediendis et de personis permutantium de beneficio ad beneficium transferendis et absentias sive abessendi licentias de beneficiis suis quibuscunque concedendis intromittere nos debemus, cum haec omnia ad praelatos et archidiaconos nostros inferiores et non ad nos spectent, qui huiusmodi sua possunt et debent auctoritate expedire, prout in praedicta ordinatione continetur. Item quod nos de cetero aliquas commissiones quibuscunque personis in praeiudicium iurisdictionis praedictorum praelatorum et archidiaconorum nobis subiectorum concedere non debemus. Item quod quando visitationis officium per nos vel alios exercere de cetero volumus, notarium publicum et testes apud nos seu visitatores nostros habere debemus, qui in visitatione detecta fideliter conscribat et copiam super eisdem si necesse fuerit etiam sub manu publica patenti faciat, et quando visitare incipimus visitationem ipsam per nostram totam dioecesim absque intervallo temporis consummare et perficere, ipsosque casus et excessus in eadem visitatione detectos corrigere debemus infra quinque menses visitationem huius-